



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

CXLI. Concessio Privilegiorum Universitatis S. Thomæ Universitatibus S.
Fidei, & B. Ferdinandi FF. Prædicatorum in Indiis Occident.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

1685.
Concessio
Indulgentiæ
pl. perp. in
quinque ca-
fibus.

Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confici, omnibus, & singulis Clericis Sæcularibus, qui dictum Institutum in posterum ingrediuntur die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, plenariam. Illis quoque qui Institutum hujusmodi ingressi, & in eo viventes, juramentum de perseverando usque ad mortem in eodem Instituto juxta Constitutiones prædictas præstiterint, & vere similiter pœnitentes, & confessi eo die Sacra Communione refecti fuerint, itidem plenariam; Ac præfatis Clericis Sæcularibus in communi viventibus nunc & pro tempore existentibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pariter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; Præterea eisdem præsentibus, & futuris Clericis Sæcularibus vere similiter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam dicti Instituti Ecclesiam, vel Oratorium, vel Parochialem Ecclesiam loci, ubi pro tempore commorabuntur, die festo S. Petri ad Vincula a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro felici præfati Instituti progressu, propagatione, ac pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, pariter plenariam; Insuper eisdem Clericis Sæcularibus in communi viventibus, qui Spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliqua ejusdem Instituti Domo peregerint, & interea vere quoque pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prædictum sumperint, ac ut præfertur oraverint, similiter plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac demum eisdem Clericis Sæcularibus præsentibus, & futuris sub Instituto prædicto viventibus, qui singulis diebus mane conscientiam suam diligenter examinaverint, cum proposito a peccatis abstinendi, & se corrigendi, ac Litanias Beatæ Mariæ Virginis devote recitaverint, & ut supra expressum est oraverint, centum dies pro unoquoque die, quo id egerint, de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Item concessio
Indulgentiæ
centum dierum.

Clausula.

Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem proflus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CXLI.

Communicantur privilegia Universitatis S. Thomæ Civitatis Monilæ Universitatibus S. Fidei, & Beati Ferdinandi Civitatis Quiten. Ordinis Prædicatorum in Indiis Occidentalibus.

De Universitate S. Thomæ vid. Const. ed. 1681., Aug. 7., P. 5. De nonnullis vero studiis Prædicatorum Inn. XII. Const. ed. 1693., Octob. 20., Pont. 2.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Rivius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologia Magister, quod licet in Conventu Sanctissimi Rosarii, & Collegio Sancti Thomæ Civitatis Sanctæ Fidei in novo Regno Granatensi in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis sit, & semper fuerit Universitas studii ab initio foundationis dicti Conventus per literas fel. rec. Gregorii PP. XIII. prædecessoris nostri erecta, & subinde a rec. me. Paulo PP. V. prædecessore pariter nostro per suas literas ad dictum Collegium translata, ipsaque Universitas fuerit in possessione conferendi gradus Academicos omnibus Professoribus, & Discipulis Scholæ Sancti Thomæ Aquinatis ibidem literarum studiis operam navantibus; ut autem dicta Universitas in majori auctoritate esset, & ejusdem S. Thomæ doctrina magis ampliaretur bo. me. Christophorus Porres dum vixit Archiepiscopus dicti novi Regni Granaten., qui in minoribus constitutus professionem regularem in ordine prædicto emiserat, magnificum in dicta Civitate Collegium majus, in quo Sæculares nobiles, & bonæ conditionis edocerentur, sua impensa fundaverit, in eoque erexerit Cathedras Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, Sacrorum Canonum, & legum, quibus pro instituto est sequi, & docere doctrinam Sancti Thomæ, prout ibidem sit cum magna utilitate studentium, qui post peracta studia, susceptasque in dicta Universitate laureas, ad servitium Ecclesiarum, ac ad ministeria Parochorum, & Præbendarum admittuntur. Nihilominus hujusmodi pacifica possessione gradus in eadem Universitate suscipiendi non obstante, nonnullæ Personæ a modico tempore rumorem sparserunt, & aliis persuadere conati sunt, quod gradus in præfata Universitate recepti non sint sufficientes, & validi, ad hoc, ut graduati possint admitti ad oppositiones, & concursus Præbendarum Magistralium, Doctoralium, Pœnitentiariarum, & Theologicalium, ac dignitates, & officia, quæ de jure requirunt, ut illas, & illa obtinentes, hujusmodi gradibus insigniti sint; Unde hoc prætextu Thomistas a præfatis officiis, & dignitatibus omnino excludunt, & quatenus eos admittant, dicunt Capitulares, se propter gradus defectum non posse eis locum in nominationibus dare: quod quidem in gravissimum redundat præjudicium Collegialium supradictorum, ac in diminutionem existimationis doctrinæ tanti Doctoris. Cum enim non ex alia causa excludantur, quam ex eo, quod doctrinæ ejusdem Sancti Thomæ sequaces, & in præfati Ordinis Universitate graduati sint, nemo amplius erit, qui doctrinæ S. Thomæ studiis operam dare velit, & intra modicum tempus Collegium supradictum, quod hodie literarum Seminarium est, destructum remanebit, peribit Universitas, & doctrina Sancti Thomæ in illis partibus extinguetur, quæ tamen olim a multis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris commendata fuit, non sine Mandato, ut illius ampliationi in Universitatibus opera daretur.

§. I. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, nos per quasdam nostras in simili forma Brevis anno 1681. expeditas literas de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio facultatem conferendi gradus Scholasticos in omnibus scientiis, quæ in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati dicti Ordinis Civitatis Quiten. in eisdem Indiis Occidentalibus docerentur sub certis modo, & forma tunc expressis concesserimus; Charissimus

Dar. 11. Apr.
1685. An. 9.

Species facti.

Ortus, &
progressus d.
Universitatis
Sanctæ Fidei
in Regno
Granatensi.

Ejus facultates a nonnullis in dubium revocantur.

Prærogative alterius Universitatis B. Ferdinandi.

vero in Christo Filius Noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, non solum Regium suum beneplacitum super institutione Collegii huiusmodi impertitus fuerit, sed etiam per schedulas suas Regias anno 1683. emanatas Collegium ipsum, sive illius Universitatem omnibus Privilegiis, & prerogativis Regalis Collegii decoraverit, idque intuitu magna utilitatis, quae in illis partibus adeo remotis ex doctrina memorati S. Thomae, & copia operariorum Evangelicorum, qui legem Evangelicam tam Christianis, quam Infidelibus praedicent, illosque doceant, proventura speratur. Ac proinde dictus Jacobus Procurator Generalis plurimum cupiat a nobis declarari, quod supradictae Universitates, Conventus Sanctae Fidei, & Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quiten. sint certa, vera, & reales Universitates, prout sunt Limana, & Mexicana absque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, prerogativis, consuetudinibus, & solemnitatibus, prout Collegio S. Thomae Civitatis Monilan. in Indiis Philippinis an. 1681. concessimus, & quatenus opus sit dictas Universitates de novo erigi in Universitates publicas ad instar Limanae, & Mexicanae cum omnibus gratiis, & privilegiis, itaut Graduatii in praedictis Universitatibus reputentur habiles, & idonei, tanquam graduati in publicis Universitatibus ad hoc ut cum Dei honore, & publico beneficio, ac Catholicae Fidei propagatione, amplietur quoque praefati S. Thomae Aquinatis doctrina, illiusque studiosi, & sequaces damna, & praedicia, quae nunc sustinent, amplius non patiantur. Nobis propterea idem Jacobus Procurator Generalis praefati Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 2. Nos igitur ipsum Jacobum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac nostrarum pariter in forma Brevis ad favorem Collegii, & Universitatis Sancti Thomae Civitatis Monila anno 1681. emanatarum literarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, omnia Privilegia praefato Collegio, & Universitati Sancti Thomae Civitatis Monila dicto anno 1681. a nobis concessa praefatis Universitatibus Sanctae Fidei, & Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitensis, auctoritate Apostolica tenore praesentium communicavimus: Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita.

Communicatio privilegiorum ann. 1681. Universitati S. Thomae concessorum.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & Univer-

sitatum, seu Collegiorum praefatorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscator. die XI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nonno.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Regularium super electione praecipuorum Officialium pro Fratibus Recollectis Ord. Minor. S. Francisci in Hispania.

CXLII.

Alia Statuta pro hisce Fratrib. habentur Urb. VIII. Const. ed. 1625. Novemb. 20. P. 3. & Innoc. XII. Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 2. Necnon Constitut. ed. 1699. Maii 30. P. 8. ubi agitur de Diffinitore.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dat. 16. Apr. 1685. An. 9.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita super quibusdam dubiis pro parte dilectorum filiorum Fratrum tam Recollectorum, quam de Observantia nuncupatorum Provinciae Hispaniae Ordinis Minorum Sancti Francisci Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- Sacra Congregatio Eminentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita ad infra scripta dubia, referente Eino Casanate tam ex parte Patrum Recollectorum, quam Minorum Observantium S. Francisci Provinciae in Regnis Hispaniarum proposita.

Decretum praedictum.

Primum videlicet, An virtute Constitutionum unum Diffinitorem Recollectioni praescribentium, Patres Recollecti exclusi maneant in voce passiva ad Provincialatum, & Custodiatum.

Secundum, Utrum Provinciali, seu Custode, aut utroque ex Recollectis assumpto, vel ob convenientiam totius Provinciae, vel ex qualitate Personae electae, debeat nihilominus Recollectioni dari sicut Diffinitor in praedictis Constitutionibus praescriptus. Ad primum respondit -- Negative. Ad secundum Affirmative. Romae 23. Februarii 1685. -- G. Card. Carpinus -- B. Panciacticus Secretarius.

Preces dictorum Fratrum.

§. 1. Cum autem sicut pro parte praefatorum Fratrum Recollectorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum huiusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praen-

sertum